

sic festinanter colligere sarcinas meas, ne mors inopinata exhaustum corpus suffocet. Dum socii mei quotidie gustarunt delicias hujus vitae, ego dies noctesque consumsi in artem extricandam, quam mille non absolverent; ne dicam quod quotidie in commercio literario dies impendi meos, et sic praecocem senectutem adscivi corpori meo. Si concedat mihi D. T. O. ulteriores aliquot dies solvam senescentem equum, ne currat ad extremum ridendus et ilia ducat; et si quae mihi contingent in horto aliquot rariores plantae, iis delectabor. Tradam Bibliothecam, Herbaria curiosaque filio meo unico, a S. Rege successore constituto, et meis consiliis si potero, eum sublevabo.

Vale amicissime Jacquine et me prout soles ama.

Dabam Upsaliae d. 1. Aprilis 1764.

Thea mea egregie crescit, ut sperare liceat eam posse ferre clima nostrum.

29.

Viro amplissimo DD. Nic. Jacquin Professori Publico etc. s. pl. d. Carol. von Linné.

Millenas refero grates pro opusculo perfecto Plantarum Americanarum, quod nunc possideo splendide alligatum. Plantas misisti plurimas, quantum ego percipio sequentes.

1. Trigonella monspeliaca.
2. Ervum Ervilia.
4. Trifolium M. italicum.
5. Certe Melilotus messanensis procumbens, folliculis rugosis Raj. Hist. 952.
6. Trifolium spumosum.
7. Ficus aliqua.
8. Trifolium stellatum.
9. T. incarnatum.
10. Anthyllis Hermanniae? Trifolium hybridum.
11. Lotus angustissimus.
12. Hypericum crispum mss.
13. Andryala sinuata.
14. A. integrifolia.
16. Leontodon paradoxum?
17. Allium sphaerocephalum.
18. A.